



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Angelii Bargaei Commentarius de Obelisco

Angèli, Pietro

Romae, 1586

Petri Angelii Bargaei Obeliscvs Ad Xystvm V. Pont. Max.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13181

Extincto passim cantat latrone viator :
 Nam veluti tenero lupus insidiatus ouili
 Clara ubi puniceo tenebras Tithonia amictu
 Expellit , vacuis infrendens dentibus iras ,
 Antra petit nemorūq; umbris se horrētibus abdit :
 Sic dominam fauus liquit sicarius Vrbem
 In sua conuertens improvida pectora ferrum .
 His tibi pro meritis puras spectantia mentes
 Numina digna ferant virtuti & pramiatantæ ,
 Lataq; Sixte boni qui te genuere parentes ,
 Roma diem poscit niveo signare lapillo .
 Adscribarq; lubens sacrata hac carmina moli .
 Sextus præclaris ad candida sidera factis ,
 At teneris virtus quem præstans extulit annis ,
 Ingentem hanc molem sacrata in sede locauit .
 Et si quæ maiora tuo cum corde volutas
 Venturis eadem moles testabitur annis .

PETRI ANGELII BARGAEI OBELISCVS
 AD XYSTVM V. PONT. MAX.

C entenūm fueram cubitorū Obeliscus, ad Vrbē
 Cum veherer vasta per freta vasta rate .
 Mox geminas , circi iam iamq; in sede locandus ,
 In partes iacui dimidiatus humi ,
 Et quamquā artificū Casar multa arte refectū
 L Exiu-

Extulit, aurato supposuitq; globo,
 Conscius ipse mihi tamen, illa in sede latebam,
 In qua ruderibus penè sepultus eram.
 Sed, postquam eduxit Cæli me Xystus in oras,
 Meq; meo voluit vertice ferre Crucem,
 Ipse mihi videor duplo sublimior esse,
 Quām cum me statuit Solis in Urbe Phero.
 Gratia magna tibi, Pater, ò sanctissime, quando
 Esse, tuum quod sit, nil nisi grande potest.

E I V S D E M A D E V N D E M.

LAtronum paulo ante vias insederat omnes
 Terrorem incutiens mortis iniqua manus.
 Nec iam parietibus quisquam, nec mænibus ullis
 Tutari qui se, vel sua posset, erat.
Quando etiam in media iugulari vidimus Urbe
 Sæpe aliquem, & multa cæde madere domos.
 Nunc autem è manibus siccæ cecidere cruentis,
 Et, quacunque libet pergere, tuta via est.
 Iustitia patet usque locus: Vis exulat omnis:
 Atque illibatas pax alit Urbis opes.
 Vnde igitur rerum facies mutata? venitq;
 Et tenebris tantis orta repente dies?
 Maximus immensum Xystus regit arbiter orbem;
 Atque unus recti cuncta gubernat amor.

San-

